Portugallien. prætenſæ nullitatis Congregationis Intermediæ.

Eme, & Rme Dne. PRæuidens R.P. Antonius Mogalhaes tunc Prouincialis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prouinciæ Regni Portugalliæ, quod nonnulli pauci Patres de eorum natura inquieti, & præſertim PP. Antonius de Tauora, & Ioannes à Diuo Thoma, nè dùm præ omnibus inquietiſſimi, ſed fauctores omnium diſſenctionum huc vſque in Prouincia exortarum, ſicuti omnibus in modis curauerant ſubuertere pacem, & tranquillitatem ipſius Prouinciæ, ità etiam non omiſiſſent omnem mouere lapidem pro ſubuertenda proxima Congregatione Intermedia, ac præuidens quoque, quod ipſe in illa præſidens non valuiſſet occurrere diſcordijs, & forsàn ſcandalis in ea dicta de Cauſa euenturis, exiſtimauit renunciare muneri Præſidentis, & eodem tempore de opportuno remedio ſupplicare huic Sacræ Congregationi, quæ ſub die 12. Auguſti 1707. dignata fuit reſcribere, & mandare, quod ipſe P. Prouincialis præſideret præfatæ Congregationi Intermediæ, quodque Eminentiſſimus D. Cardinalis Nuntius aſſiſteret cum facultatibus eiuſdem Sacræ Congregationis *Summ. Num.* 1.

Vigore huiuſmodi Decreti, & iuxtà eius tenorem conuocata, & celebrata fuit dicta Congregatio Intermedia, quæ cum modo pro parte ſupradicti P. Antonij de Tauora, aliorumque eius Partialium prætendatur nulla, & inualida, abſque vllo prorsùs dubio reſcribendum videtur *ſubſtineri*, proùt pro parte moderni P. Rectoris Prouincialis, totiuſque præfatæ Prouinciæ humilitèr ſupplicatur, & ſperatur.

Quatenùs enim dicta Congregatio prætendatur nulla, eo ſub ſuppoſito, quod celebrata non fuerit congruo tempore, ſcilicèt in die Feſtiuitatis omnium Sanctorum, ſed ſub die 9. menſis Nouembris anni præteriti 1707., & ſic paucis diebus poſt dictam Feſtiuitatem omnium Sanctorum, aduertere exoramus, nullam prorsùs habere ſubſiſtentiam.

Tùm quia in facto non ſubſiſtit, celebrationem Congregationis Intermediæ eſſe de neceſſitate, & ſub pæna nullitatis faciendam dicta die Feſtiuitatis omnium Sanctorum, & præſertim quoad dictam Prouinciam Portugalliæ, in qua cum Capitulum Prouinciale celebretur de triennio in triennium, vt inter Partes non controuertitur, potuit ipſa Congregatio Intermedia etiam alio tempore iuxtà ipſius Prouinciæ conſuetudinem celebrari, vt expreſsè præſcribunt, & mandant Ordinis Conſtitutiones datæ in *Summario Num.* 2.

Tùm etiam quia quando etiam per falſam hypotheſim celebrari debuiſſet in dicta die Feſtiuitatis omnium Sanctorum, adhuc dubium non eſt, quin potuerit per præfatum Eminentiſſimum D. Cardinalem Nuntium prorogari vigore facultatum huius Sacræ Congregationis ei in dicto Decreto conceſſarum *Summ.d.Num.*1.

Fortiùs verò quia eam non prorogauit niſi vſque ad diem nonam Nouembris, & ſic per paucos dies, & quidem vtendo facultatibus huius Sacræ Congregationis, ac iuſtis de Cauſis, nempè ob abſentiam aliquorum ex nouem vocalibus, vt conſtat tàm ex eius relatione tranſmiſſa huic Sacræ Congregationi, & per extenſum data in *Summ.Num.*3., quàm etiam ex altera D. Hieronymi Lamparelli Notarij Tribunalis Nunciaturæ, de qua in *Summ Num.*4.

Quatenùs autèm prætendatur nulla, ex quo in ea interuenerint tàm D. Auditor dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Nuntij, quàm etiam alij duo Iudices, nec non præfatus Lamparellus Notarius Tribunalis Nunciaturæ, dicimus, huiuſmodi prætentionem eſſe non poſſe inſubſiſtentiorem, nè dùm quia interuenerunt de ordine, & mandato dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Nuntij, vt ipſemet refert in dicta eius relatione data in *Summ. d. Num.*3. *litt. I.*. Verùm etiam quia ità fuit ſemper practicatum, & practicatur in dicta Prouincia, vt in *Summ. d. Num.*4. *litt. A. B.*, *& Z.*

Idque eſt adeò verùm, vt omnes præfati Miniſtri Eminentiſſimi D. Cardinalis Nuntij interuenerint quoque in alijs Capitulis, & Congregationibus Intermedijs, & præſertim in vltimo Capitulo Prouinciali anno 1706. celebrato *Summ.d.Num.*4.. Et conſequentèr quatenùs iſta de cauſa declararetur nulla Congregatio Intermedia, de qua agitur, maximum ſequeretur abſurdum, quod ſcilicèt declararentur quoque nulla cætera alia Capitula, vt ſupra celebrata, adeò vt fieret ſtrages quamplurium Capitulorum.

Rursùs quatenùs vlteriùs prætenderetur nulla altero ſub ſuppoſito, quod dictus D. Auditor, alijque Miniſtri dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Nuntij in ea ſuffragati fuerint, humilitèr ſupplicamus ab eo cauere, quia nullam in facto habet ſubſiſtentiam:

Nec ad effectum, de quo agitur, eſt attendenda ſimplex atteſtatio aliquorum Religioſorum forsàn exaduersò danda, non ſolùm quia omnes in ea deponunt de auditu ſolummodò ab illis Patribus, qui vt infrà appellarunt, & modò prætendunt nullitatem controuerſæ Congregationis, & ſic nullum prorsùs probationis gradum faciunt ex notiſſimis Iuribus.

Verùm etiam quia totum contrarium remanet concludentiſſimè probatum ex relatis in *Summ. d. Num.*4., & præſertim ſub *litteris C. E.*, *& K.*

Et demùm quatenùs prætendatur nulla, eo ſub prætextu, quod non durauerit niſi per paucas horas, quod hac de cauſa quamplura non potuerint proponi, & expediri negocia, & quod multa in ea illa-

illata fuerint grauamina; dicimus longè minùs subsistere.

Quantùm enim ad assertam nimiam breuitatem rogamus aduertere, Congregationem inchoatam fuisse die 9. Nouembris, & terminatam non fuisse nisi sub die 16. eiusdem mensis Nouembris, & sic durasse spatio octo dierum, ac in eis, scilicèt sub diebus 9. 12., & 16. tres factas fuisse longissimas sessiones; & in istis omnes expeditas fuisse materias, vt constat ex præfatis duabus relationibus Eminentissimi D. Cardinalis Nuntij, eiusque Notarij datis in *Summ. d. Num.3.*, *&* 4.

Quantùm verò ad negocia vt asseritur non proposita, minusque expedita, veritas est, quod tàm P. Prouincialis, quàm Eminentissimus D. Cardinalis Nuntius ob eorum deficientiam habuerunt per binas vices Congregationem pro terminata, vt resultat ex eisdem relationibus vt supra datis, & præsertim ex illa D. Lamparelli data in *Summ. d. Num.4. litt. M.*, *& X.*

Idque similitèr est adeò verum, vt cum præfatus P. Antonius de Tauora eodem tempore, quod dixit, se appellare nè dùm à gestis in vltima sessione, verùm etiam à cæteris alijs concorditèr resolutis in præcedentibus, dixerit quoque, quod non poterat Congregatio terminari, ex quo remanebant alia proponenda, & resoluenda in ea, non omisit Eminentissimus D. Cardinalis Nuntius pluriès, atque pluriès eum requirere, vt diceret, & exprimeret negocia proponenda, & resoluenda, sed ipse numquàm voluit ea indiuiduare, nec quidquam aliud dicere, & propterea iuremeritò Congregatio habita fuit pro terminata,& proùt latiùs in *Summ. d. Num.4. lit.O.*, *& pluribus sequentibus*.

Hinc non videtur præstanda aliqua fides F. Iosepho de Nasaret Bidello præfatæ Congregationis, alijsque Religiosis contrarium forsan asserentibus, Et non referentibus diligentias vt supra factas pro habenda à d. Patre de Tauora notitia assertarum aliarum materiarum; Et nihilominùs addimus, quod absque vllo dubio præferendæ sunt probationes pro hac parte allatæ, quia dicti contrarij Testes nedùm concurrere non valent cùm prefatis Relationibus Emi D. Card. Nuncij, eiusque Notarij, sed etiam quia falsissimi conuincuntur, cùm veritas sit, quod fuerint perlecta omnia memorialia Congregationi porrecta, ac vlteriùs fuerint quoque resolutæ, & expeditæ cœteræ aliæ materiæ recensitæ in supradicta relatione data in *Summ. d. Num.4.*

Insuper addimus, quod quando etiam remansisset, & remaneret aliquid vt supra proponendum, & decidendum, fieri, & determinari poterit in proximo Capitulo Prouinciali de necessè celebrando in mense Aprilis intrantis anni 1709.

Et tandem quantum ad ass. grauamina vt prætenditur illata in controuersa Congregatione sufficeret respondere, quod non sunt præsentis inspectionis, quia quando etiam adfuissent, apta non fuissent,

sent, nec essent reddere nullam ipsam Congregationem.

Nihilominùs vt Emi Patres recognoscant quoque insubsistentiam huiusmodi prætensionis, superfluum non existimamus recensere omnes controuersias in ipsa Congregatione habitas, & agitatas.

Porrecto pro parte P. Ioannis à S.Thoma Priore suspenso Conuentus S. Mariæ Gratiarum Ciuitatis Vlxsiponensis supplici libello tàm super admissione renunciationis sui Prioratus, quàm super resolutione, & decisiône Processus contra eum fabricati, & ex eodem eius supplici libello habita notitia, quod recursum habuerat nedùm ad R. P. Generalem Ordinis, verum etiam ad Iudices laicos, fuit primò loco per Emum D. Cardinalem Nuncium responsum, quod ob dictos recursus habitos ad Iudices laicos non poterat, nec debebat audiri, *vt Summ. d. Nu.4. litt.D.* & post modum mitiùs agendo fuit ab omnibus Vocalibus vnanimitèr resolutum, *quod expectaretur resolutio P. Generalis*, *vt Summ. d. Nu.3. lit.C.* Et consequentèr cessat in hac parte quæuis vmbra grauaminis.

Accedente præsertim, quod respectu renunciationis Prioratus nullo modo poterat Congregatio Intermedia illam acceptare, quia huius Causæ, sunt priùs recognoscendæ à P. Prouinciali, eiusque Diffinitoribus ità disponentibus Constitutionibus Ordinis datis *in Summ. Nu.5.*

Respectu verò resolutionis, & decisionis processus, cùm Diffinitorium Congregationis Intermediæ habeat easdem facultates, quas habet Diffinitorium Capituli Prouincialis, vt ex Constitutionibus ordinis datis *in Summ. Nu.6.* certum, & indubitatum est, quod sicuti istud non valet cognoscere, & definire Causas, vt disponunt æedem Constitutiones, de quibus *in Summ. Nu.7.* Ità etiam nec potest Congregatio Intermedia, & proùt latiùs deducitur in relatione data *in Summ. d. Nu.4. litt.F. & G.*

Facta subindè eidem Congregationi Intermediæ relatione super applicatione, & erogatione cuiusdam summæ spectantis Prouinciæ, nec non super lite desuper introducta, & indecisa pendente, quia quinque ex vocalibus suffragati fuerunt pro applicatione facienda Cônuentui Leyriæ, & reliqui quatuor fuerunt in voto, quod non esset aliquid innouandum in spretum d. litis pendentiæ, fuit de mandato Emi D. Cardinalis Nuncij extensa resolutio iuxtà votum traditum à maiori parte Vocalium, cùm declaratione tamen, quod ipse eam non approbabat vti præiudicialem d. pendentiæ litis *Summ. d. Num. 3. litt.D.* Et propterea in hac etiam parte nullum prorsùs considerari valet grauamen.

Minusque dici valet, fuisse aliquod grauamen illatum P. Antonio à Sacramento, ex quo in eadem Congregatione Intermedia non fuit ei admissa renunciatio Procurationis Generalis; Quoniam non solum ei obstabat idem defectus recognitionis Causarum præuentiuè faciendæ iuxtà Ordinis Constitutiones datas in *Summ. d. Num.5.*,

Num.5., sed vlteriùs ipsa renunciatio apparebat collusiua, vt latius deducitur tam in relatione Emi D.Card. Nuncij data in *Summar. d. Num.3. litt.E.*, quam in altera D. Lamparelli, de qua in *Summ. d.Nu.4. litt.T. & V.*

Sicuti etiam dici non valet, fuisse alicui præiudicatum ob non factam in eadem Congregatione Intermedia Electionem Lectorum ex validissimis rationibus, & fundamentis deductis in supradicta relatione Emi Card. Nuncij, de qua *in Summ. d. Num.3. litt.F.*

Reiectis suppositis grauaminibus remaneret respondendum exaduerso deducendis contra, & aduersus D. Auditorem, aliosque Ministros dicti D. Card. Nuncij; sed superfluum existimamus, quia vltra quod non probatur, credibile non est, quod in re ad ipsos non spectante, & in præsentia eorum Domini, ac tanti Principis ausi fuerint aliquid deducere, & præsertim contra Religiosos legitimè congregatos, ac etiam quia contrarium resultat ex relatione D.Lucarelli data in *Summ. d. Num.4. litt.G.*

Cœterum principaliores motores tantanum dissenctionum, & hodiernæ controuersiæ fuerunt, & sunt præfati duo Patres *Antonius de Tauora, & Ioannes à Diuo Thoma*, & quoad personam ipsius P. Ioannis à Diuo Thoma constat ex deductis in altera nostra informatione contra ipsum data.

Quò verò ad personam d. P. Antonij de Tauora, scilicèt quis sit, quàm vitam duxerit, & ducat, quas Calumnias contra eius Superiores, & præsertim contra præfactum P. Antonium de Magalhaes coactum renunciare muneri Prouincialatus, patrauerit, & quomodò de eis loquatur poterunt Emi, & Rmi Patres recognoscere ex Epistola nonnullorum grauissimorum Patrum scripta R. P. Generali, ex altera Emi D. Cardinalis Nuncij transmissa eidem R. P. Generali, ex iurata attestatione P. Michaelis à S. Maria, & ex nonnullis Epistolis ab ipso P. Antonio de Tauora scriptis eidem P. Michaeli à S. Maria, & omnibus datis in *Summ. Num.8.9.10., & 11.*

Et propterea nedùm rescribendum videtur pro validitate Congregationis Intermediæ, sed vlteriùs sumenda est aliqua prouisio contra præfatos duos Patres, adhoc vt imposterum non valeant Prouinciam inquietare, proùt humilitèr supplicatur.

Quarè &c.

Michael Angelus Casalius.

SACRA CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D. Card:

GABRIELLIO

Portugallien. prætensæ nullitatis Congregationis Intermediæ.

PRO

R.P. Prouinciali, & Prouincia Ordinis Eremitarum S. Augustini Regni Portugalliæ.

CONTRA

Aliquos Patres d. Prouinciæ.

Facti.

Typis De Comitibus 1708